TENTAMEN JUVENILE

DE VARIOLARUM EXTIRPATIONE quærendâ primùm; illique subnectendâ Variolarum Insitione.

PRO PRIMA APPOLLINARI LAUREA OBTINENDA

IN AUGUSTISSIMO LUDOVICEO MEDICO

DEO DUCE, ET AUSPICE DEI-PARA

PROPUGNANDUM

A JOANNE-BAPTISTA RICHARD, Cransacensi, Rutheno, Artium Liberalium Magistro, & jamdudùm Medicinæ alumno, Autore. Die 27ᵃ. Augusti 1764.

Nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus. Cicero : Quæst. Ac. L. 4.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis Typographum unicum.

M. DCC. LXIV.

TENTAMEN JUVENILE

DE VARIOLARUM EXTIRPATIONE quærendâ primùm; illique subnectendâ Variolarum insitione.

TERMINI in enuntiandâ quæstione adhibiti definitione non indigent. Sufficienter omnibus innotescunt Variolarum extirpatio, Variolarum insitio, ceu inoculatio, ipsæmet Variolæ.

Hæc perpauca præmittantur tantùm postulata: 1°. Virus Variolosum Terræ nostræ alienum esse & merè adventitium, nec alium hîc habere fomitem præter semetipsum: id est nullâ aliâ viâ serpere nisi nudo contagio; nullamque Athmosphæræ nostræ, soli-ve nostri constitutionem, nullum his nostris Regionibus proprium vel accidentalem eventum, epidemias Variolosas unquàm excitasse. (*a*) Quâ quidem conditione prorsùs dissidere videtur talium epidemiarum ortus, ab epidemiarum pestilentium regressu, quæ Imperii Turcici Provincias, præprimisque Ægyptum devastant, si reverà, ut perhibent, ibi Terrarum prima cujuslibet epidemiæ labes à causis verisi-

(*a*) In hoc puncto omnimodè Cel. *Gatti* assentior, de illo acriter peritèque meo judicio disputanti, in eximio Libello Nuper illi edito, cui titulus; *Réflexions sur les Préjugés qui s'opposent aux progrès & à la perfection de l'Inoculation* p. 25. sq.

Vide etiam Clar. *Beer* Dissertationem *de Variolarum extirpatione insitioni substituendâ* § v. vi.

Vid. Celeb. *Rast* infrà sæpiùs laudandi Opusc. p. 21. sq.

millimè pendeat huic Regioni propriis, & eodem pede redeuntibus, creſcentibus, deſinentibus, quo redeunt, creſcunt, deſinunt ipſæmet epidemiæ. (*b*)

2°. Variolas è contrà ubique & quovis tempore ſævire, omneſque paſſim homines adoriri, nullo integræ vel imbecillæ valetudinis, ætatis, ſexûs, temperamenti victûs, rationis &c. diſcrimine habito. Hæc autem animadverſio novam prorsùs & inconcuſſam fidem nacta eſt, ex eo quod virûs Varioloſi cuicumque ſubjecto, quâcumque anni tempeſtate, quâlibet Regione, ſecundum Artem, celebrata inſitio raro admodùm ſucceſſu, id eſt contagio fruſtretur; dumque virûs inſititii, virûſque ſpontè graſſantis abſoluta identitas in confeſſo eſt.

Tandem inane commentum, vanæ imaginationis prolem habendum eſſe *Semen* ſeu *Germen* Varioloſum cuivis homini aut ſaltem quamplurimis hominibus innatum; hypotheſi ſcilicet inſiſtens non ſolùm prorsùs gratuitæ, ſed cui ex directo graviſſimæ fidiſſimæque obſervationes pugnant. (*c*)

Inter varia auxilia prophylactica quæ Medici, variis temporibus, atrociſſimæ lui objecerunt, inſitio, hujus ſæculi inventum, ex integro prævaluit: atque gentem Medicam, tum genuinam, tum ſpuriam, ingenia incendere, motus animorum ciere, in diverſa ſtudia ſcindere meruit. His tandem nuperrimis temporibus Variolarum Extirpatio in medium allata fuit; &, quod facilè credas, belli cauſas amplificavit.

[*b*] De Ægypto narrant viatores, epidemias peſtilentiales conſtanter & quotannis in hac Regione recrudeſcere, eo præciſè tempore quo Nilus terras deſerens hinc indè ſtagnantes aquas, frequentemque limum relinquit, in teterrimam putrefactionem maximè pronum, ſub Cœlo fervidiſſimo, gravibus auſtris aſſiduè perflato; quod quidem hâc tempeſtate perpetuum eſt. Atqui Soli recenter exſiccati peſtifera effluvia, auſtri inſalubritas, & talium cauſarum exitioſiſſima combinatio inconcuſſis obſervatis demonſtrantur.

(*c*) De hoc puncto conſenſum neutiquàm ſanè ſuſpectum propono Cel. inſitionis Patroni & Promotoris mox laudati, ſcilicet Ill. Gatti; atque infenſiſſimi inſitionis hoſtis Cl. Cantwel. Prior enim, opuſculi jam laudati loco mox aſſignato, *Germinis* hypotheſim refellit quaſi præjudiciorum, progreſſum inſitionis malè morantium, fontem; poſterior autem eamdem hypotheſim, chimeram Arabum, ab ingenuâ Medicinâ jamdiu exulem, cujus demonſtrata falſitas &c. &c. vocitat. Vide *Tableau de la petite Vérole* p. 187.

Vid. Cel. *Raſt*, loco jam citato.

Vid. Doctiſſ. *Robert* Medici Pariſienſis meritiſſimi opus, ſub Titulo *Recherches ſur la nature & l'Inoculation de la petite Vérole.* Cap. 1°.

Quâpropter generaliſſima quæſtio circà Variolarum therapeiam duplici termino tantùm nuper inſiſtebat, ſcilicet Variolarum expectationi ſic dictarum naturalium ſpontanearum ſeu fortuitarum (quaſque poſtremo tantùm nomine indigitare licet (*d*)) & Variolarum inſitui. Quæſtio verò his opportuna temporibus circa triplicem verſatur: expectationem ſcilicet, inſitionem, extirpationem.

Noviſſimam, ſufficientibus auxiliis deſtitutus, viribuſque imparibus aggredior; verùm audax juventâ, ex illâque præſidium ſperans quod vix unquam maturior ætas non denegat; ingenuum ſcilicet, nulloque alieno ſtudio violatum, veritatis ſtudium. (*e*)

Namque extemplò librorum, atque altera qualiſcumque eruditorum autoritas deeſt. Quid? objicient forſan: ubi adeò multiplicia circa hance materiam commentaria extant, ut vix ſine quodam pudore toties retractatam retractare liceat. Sed hæc noſtra propoſitio neutiquam paradoxa videbitur cuicumque experto librorum enormem multiplicationem, in ſe, & independenter ab alio quovis vitio conſideratam, graviori ſupplicio ſtudentem torquere, præ librorum penuriâ abſolutâ: quantò magis, ſi tale ſupplicium anxiâ perplexâque legentis fide adaugeatur.

Aſt in innumeris illis de Variolarum therapeiâ opuſculis, quamplurima ſunt in quibus inſignem veri characterem, ſinceram ſcientiarum ſuadelam, dubitationem ſcilicet Philoſophicam requiras; in quibus è contrà præcipitem fiduciam, orationis modum affirmativum, indomitas opiniones, abſolutam conciliationis impatientiam ubivis reperias.

Diſſertationes extrà Artis ſinum natæ, ſaltem quoad rem merè Medicinalem, inſolubili miſcelâ per totum quæſtionis latifundium diffuſam (*) omni autoritate deſtituuntur, ipſo facto,

---

(*d*) Namque bina priora nomina Varioloſi *Germinis* mox notatum dogma redolent.

(*e*) Ubi notare liceat, me vix, in centenis quos de hacce materiâ conſului autoribus, alium reperiſſe à quacumque demum in alterutras partes proclivitate liberum, præter candidum Juvenem Cl. *Beer*, jam citatum, pluriesq. in ſequentibus laudandum, qui, ut nos, primam Medicinæ militiam init.

(*) Quam ſegregavit ſolus *Dalembertius*; exceptâ tamen notulâ quadam de præparatione Inoculandorum, p. 94 opuſculi mox laudandi ſubmiſſâ, & in quâ, (quod obiter notatu dignum) malè credulâ inexperientiâ peccat vir eximius; adeò ineluctabilem caſum portendit excurſio in fundum alienum. V. infrà.

si fas sit ità loqui, ipsâ videlicet origine. (*f*) Scripta verò legitimorum Artis magistrorum, dum vel à Medicis prodeunt qui Variolarum insitionem colunt, & ex illâ utile nomen consequuntur; vel autores agnoscunt Medicos insitioni adversos, insitoribus adversissimos (*g*) in meritam vel mercatilîs lenocinii, vel odii Medici suspicionem veniunt.

Senatus Medicinales nondum Decreta sua emisere. Plurimi etiam extant queis tale jus sibi arrogare piaculum foret. (*) Schola Monspeliensis v. g. novarum methodorum intolerantiam, & novatorum vexationem ignorat. Heu! o utinam à *passivâ* vexatione foret ipsamet immunis.

Si hinc plures dignitate, divitiis, doctrinâ claros, novam inoculationis methodum admittentes reperias; illinc plebem, cujus forsan non inferior Logica, (*h*) huic indomitè repugnantem habes.

(*f*) De hac Assertione consuli, nostro judicio, meretur Opusculum ex Platone excerptum à Geleb. J. J. *Rousseau*; sub Titulo: *de l'imitation Théâtrale*; memoradumque sapientissimum adagium: *tractent Fabrilia Fabri.* In hoc autem directè dissentimus ab ingeniosissimo, eruditissimoque Scriptore recentissimi operis *Recherches sur quelques points de l'Histoire de la Médecine &c.* Philosophos in Medicorum censum admittente; quin & nos mulierculas potiùs ægrorum lectulis assiduo affixas, quas Gallicè dicimus *Garde-Malades* conscriberemus; ut potè Logicæ nostræ, & peritiæ verè Medicæ propiores.

(*g*) De Extirpatoribus, aut potiùs Extirpatore nostro, doctissimo scilicet, & humanissimo *Rast* Doctore Monspeliensi, Clinico & Academico Lugdunensi (de quo fusiùs in sq.) & de anti-extirpatoribus, nihil est quod in specie animadvertamus. Namque priorem quasi inoculationis hostem, postremos quasi illius defensores duellum movisse, advertere pronum est.

[*] Sap. Præsidem, in oratione *de libertate Medicinæ* publicè habitâ, pro solemni Scholarum Monspeliensium instauratione, talia declamantem audivi: *si quis extet vel intra Academiæ sinum, vel extra Academiam cui jus & autoritas competant sanciendi de materiâ & formâ doctrinæ; si de hocce legem quamdam manare contigerit ab autoritate quacumque legitimâ, & quidem à Senatu Medicinali erga propria membra: ipso facto irrumpit vel perseverat Barbaries ..... cohibetur liberior ingenii volatus ...... ineluctabili fato devoventur ingenui quicumque, aut præclari Artifices, quorum inexpiabile scelus, profanum consortium vulgus arcuisse, aut peritiâ vicisse.*

(*h*) Ex quâ quidem hanc potissimum objectionem, saltem implicitè, haurit quam R. hujusce Lycæi Profess. Clar. *Barthés*, in Diario Eruditorum, quod tunc, pro Medicinali parte conficiebat, M. Aug. 1759 explicitè proponit. Sic enim Autor Clar.: *le danger de l'Inoculation quoique très-petit est présent; & le danger de la petite Vérole naturelle, lors même qu'on le considére comme certain, peut être encore éloigné.*

Potentiora quibus utrinque dimicant arma ; calculum ſcilicet Mathematicum intrepidâ manu tractant eruditulí , quibus nihil intentatum , nihil arduum. Doctiſſimi verò Artis magiſtri talîs analiſeos multiplicia fundamenta præter modum abſtruſa , quædamque ſpeciatim ~~vix,~~ ac ne vix quidem attingenda , & ipſammet theoriam perdifficilem declarantes , cunctanter & per iteratas inſufficientis medii confeſſiones procedunt. Quod de Celeber. *Dalembertio* noſtro præſertim obſervatum eſto (*i*) qui & ipſos Artis principes de iniquâ & præmaturâ criterii Mathematici , ad tale argumentum , applicatione arguit.

Aliunde experimenta utrinque allegata confirmare, vix milleſimo cuilibet legitimo inquiſitori datur. Undè alterius relatis vulgò confidendum eſt : & etiam dùm directiſſimè & circà graviſſima objecta diſſentiunt partes oppoſitæ.

Ipſamet rei baſis, reſpectiva ſcilicet Variolarum inſititiarum & fortuitarum mortalitas, ne adhuc quidem inveſtigata eſt. De vero rei cardine ne cogitatum eſt quidem in conſtruendis tabulis de vario utriuſque Variolæ fato ; quas tamen tanto hiatu extollunt. Illæ verò ſi cum illis conferantur quas jam laudatus Ill. *Dalembertius* proponit (*k*) rudia videbuntur tentamina , neſcio quâ ſorte, ſagacitati artificiali ceu ſcientificæ eruditiſſimi ſæculi longè inferiora. Aut generaliùs : tot & tanta in agitato problemate prætermiſere principia , ſeu elementa (ne memorem falſa aut gratuita pro veris aut indubitatis admiſſa) ut vix adumbrata quæſtio habenda ſit. Undè meritò concludas calculum tam caducâ baſi ſuperſtructum , & ubi quidem ſtupendâ animi acie , ſummâque Artis peritiâ conſpicuus eſt, nunquam veram rei men-

---

(*i*) Sic Illuſtriſſimus Vir in Commentario cui Titulus : *Mémoire ſur l'application du calcul des Probabilités à l'Inoculation de la petite Vérole.* Quod in conſeſſu publico Academiæ Regiæ Scientiarum lectum die 12a. Novembris 1760. Et excuſſum eſt in Opuſculis ſuis Mathematicis, tom. 2. Sic , inquàm, ille : *Un très-grand Géométre , Mr. Daniel Bernoulli . . . . nous a donné ſur l'Inoculation un ſçavant Mémoire Mathématique &c. . . . . . Quelques éloges que ſa théorie mérite par l'habileté & la fineſſe avec laquelle l'Auteur l'a développée ; elle laiſſe, ce me ſemble, beaucoup à déſirer encore . . . . Les ſuppoſitions de Mr. Bernoulli conduiſent à des conſéquences qui ne paroiſſent pas vraiſemblables.* & alibi : *un ſçavant Géométre m'a communiqué une manière de calculer les avantages de l'Inoculation qui eſt fort ſimple ; mais qui ne me paroît pas juſte.*

(*k*) Vid. Nam. ſq. nº. 6.

ſuram tradere valuiſſe. (*l*) Quid enim juvat diligentiſſimi nuntii pernicitas, qui ſarcinulam domi reliquit cujus vehendæ gratiâ iter ſuſceperat ?

Et deinceps computationes Mathematicæ, prædicto argumento competant nec-ne, nullam certè cum Populo, cum Nationum ſummâ, affinitatem habent. Etenim ſi compoſitæ, ſubtiles, altæque indaginis, ſimul inintelligibiles; ſi ſimplices, apertæ,

---

(*l*) Sic iterum mihi magnus Appollo *Dalembertius* nondum poſt elap-
ſos quatuor integros annos confutatus (quod non ſtupeas ſed quod ſe-
dulò notes,) intereà tamen eodem permanente quæſtionis ſtatu quem
egregius vir penitus invertendum demonſtravit. Sic, inquàm. ille Comm.
ſuprà Laud. p. 92. ſq. alibique paſſim : „ Que conclurre de tout ce Mé-
„moire? 1º Que jusqu'à préſent on n'a point calculé d'une manière exacte &
„ſatisfaiſante les avantages de l'inoculation, ni préſenté la queſtion comme elle le
„doit être. 2º. Qu'on n'y a pas aſſés diſtingué deux queſtions différentes, l'avan-
„tage que l'Etat peut tirer de l'inoculation & celui que les Particuliers peu-
„vent en eſpérer. 3º. Que pour calculer d'une manière préciſe les avantages
„de l'inoculation, il faut d'abord & préliminairement avoir une bonne mé-
„thode pour calculer la probabilité de la vie ; méthode ſur laquelle on peut
„former des doutes bien fondés. 4º. Que quand on aura cette méthode, il
„faudra en trouver une autre pour comparer le riſque de mourir en un mois
„ou 15 jours, ou en général en un tems fort court, à l'eſpérance de vivre
„quelques années ou quelques mois de plus au bout d'un tems fort éloigné;
„méthode très-difficile, & peut-être impoſſible à trouver. 5º. Qu'il faudra
„trouver outre cela une bonne théorie pour parvenir à comparer la vie phi-
„ſique des hommes avec leur vie réelle, & leur vie civile, théorie qui eſt
„pour le moins auſſi remplie de difficultés. 6º. Enfin, & c'eſt là le plus facile,
„qu'il faudroit avoir des Tables de mortalité, qui marquaſſent l'âge des Per-
„ſonnes mortes de la petite Vérole ; Tables qui nous manquent encore. Ces
„Tables au reſte, ne pourroient être trop étendues ni trop multipliées ; elles
„donneroient le moyen de calculer la mortalité de la petite Vérole, pour les
„différens âges, pour les différens Climats, pour les différentes Saiſons, pour
„les Villages & pour les Campagnes........... On voit donc que, ſoit faute
„de théories ſuffiſamment exactes, ſoit faute d'obſervations ſuffiſantes, on ne
„peut juſqu'ici, & peut-être qu'on ne pourra de long-tems parvenir à une
„bonne analyſe mathématique des avantages de l'Inoculation.

„Ces Tables ſi néceſſaires à la queſtion préſente n'éxiſtent pas encore.....
„ſans ce ſecours on n'aura jamais que des calculs imparfaits & fautifs ſur les
„avantages de l'Inoculation.

„Non ſeulement on n'a point encore d'obſervations ſuffiſantes pour conſ-
„tater au juſte, ni même à-peu-près quel eſt le riſque qu'on court &c. Mais
„quand on pourroit apprécier exactement ce danger...... il faudroit pouvoir
„déterminer ſuivant quel rapport un riſque de cette eſpèce diminue quand on
„l'enviſage dans le lointain, & fuyant pour ainſi dire devant nous : Problême
„qui me paroît inſoluble. &c. &c. &c.

ad captum illius depreſſæ , hoc ipſo fallaces deprehenduntur. Cæteròquin difficillimè ſane animum inducuntur rudes & indocti homines ut ſuam, amatæque Prolis vitam, aleæ cuicumque etſi minimè periculoſæ, ſpontè, & ex profeſſo committant. Ergò ſaltem per media illorum ingenio , affectibuſque accommodata , inclinandi ſunt, ut tali periculo rectiùs æſtimato ſe ſuoſque ultrò objectent. Atqui certò certiùs deſiderata media in accuratiſſimis ratiociniis , ornatiſſimis orationibus, ſolertiſſimo calculo fruſtra requiras. Talia ſectari vix noſtrum patitur propoſitum (*m*). Sed obſervaſſe decebit ſummos Inoculationis promotores hucuſque ratiocinia tantum & computa humano Generi, Orbi objeciſſe: ergò Inoculatores ſeu incogitantiâ, ſeu remiſſiori in vulgus ſtudio, admodum ſpectabilem, ſed inopem Plebeculam hucuſque neglexiſſe.

Uno verbo , candidum veritatis , præſtantiſſimæque praxeos inquiſitorem miris modis divexat illud, quod Medicis & Chirurgis Britannis, jam laudatus *Beerus* exprobravit vitium , heu quo meliori jure noſtratibus objiciendum ! quòd ſcilicet *Artem* (inſitionis putà) *praxi turbulentâ ſuâ inextricabiliter propèmodum , contortis dubitationum* (n) *nodis, & diſputationum liciis innexam involutamque reddiderint &c.* (*).

Unde ſuſcepti muneris difficultatem quantò magis exagerare inpromptu eſſet , ſi impedimenta jam acervatim indigitata evolvere , atque ſigillatim recenſere aggrederemur ? Verùm jam exaratum negotii ſpecimen ſufficiat ; deturque invocatâ autori-

---

(*m*) Veriſſimillimum eſt Londini quam alteram inoculationis Metropolim jurè dixeris, in Sueciâ Angliæ in hoc puncto æmulâ, alibique, pauciſſimos adhuc de plebe puellos inoculationem expertos eſſe, extra Noſocomia huic operationi dicata. Si tamen unquàm inſitionis uſus & apud multitudinem invaluerit, veriſimillimè è talium Noſocomiorum inſtitutione procedet. Illic enim, ex Orphanotrophiorum alumnis, vel aliis, quocumque titulo, tutelæ publicæ commiſſis pueris, ſub indefeſsâ& ſollicitâ medentium curâ, ne prætermiſsâ quidem proceſsûs elegantiâ, &, ut dicunt, jucunditate, experimenta inchoabuntur. Populus ad talia ſacra admiſſus, leviſſimum contemplabitur medelæ ſupplicium, exiguumque admodùm periculum, ſi ullum; (quidni enim, piâ admodum fraude, perrara infortunia celarentur?) undè ad talem fortuitæ luis (quam ipſemet aliundè ſæviſſimam expertus fuerit) prophylaxim admittendam, ultrò compelletur, ſi aliquo invitamento compellendus.

(*n*) Quam cave confundas cum dubitatione Philoſophicâ ſuprà laudatâ.

[*] P. XXVII.

tate frui cui, hoc præcisè consilio, propriæ tenuitatis conscii, immoderatiùs fortasse innixi sumus. Tali, inquam, autoritate inconcussum, aut saltem concessum esto duntaxat, agitatam quæstionem, & potissimùm circà Variolarum insitum, ut est hodiè, sexcentis dissertationibus perpensam, etiamnunc obscuram, insolutam, forsan æquis judicibus insolubilem remansisse; vel, si mavis, evasisse.

Nunc autem tales expositi operis ærumnas stupenti, quadruplex tamen, quâ sese ab illis expediat, objicitur via; ne nominatis quidem impudentissimorum assertorum ridendâ dicam an execrandâ (o) audaciâ, intricatissimum quemlibet nodum, pro vario propriæ causæ respectu, nudo suo arbitrio præcidentium; vel alio quocumque præclaro Urbis facinore. Nobis enim humilibus Provinciæ incolis, talibus ausis clarere denegatur. His, inquàm, præterhabitis, quadruplex remanet litem dirimendi ratio.

1a. Quidem, quæ maximè obvia sed minus honesta: nimirùm hæc omnia qualiacumque certamina, ut inania subtilioris doctrinæ ludibria, procul arcere; & funestæ improvidentiæ inertiam ultrò fovere.

2a. Quæ & etiam minimè decora, etsi usitatissima: scriptorum scilicet antecedentiun gregem serviliter sectari, aut & etiam verbo tenùs exscribere; crambem, ut dicunt recoquere.

3a. Quæ propè infinita, & post jam prolatas animadversiones, pluresque ejusdem generis, si luberet, subnectendas, prorsùs temeraria; in ulteriore minutissimi cujuslibet quæstionis surculi elucidatione insudare

4a. Tandem, quæ nobis undequaquè arridet, (utpotè methodum insinuans quam arti nostræ penitùs accomodatam habemus) sollicitè inspicere utrùm ab infinitis illis subtilissimæ dialectices litigationibus, & cujuscumquè demùm generis ambagibus, sic quæstionem expedire liceret, ut Variolarum Extirpatio, imò Inoculatio vel simplicissimæ cuilibet quæstioni Medicæ

(o) Rerum humanarum rudi Adolescenti, incomposita hæcce Nequitiæ insectatio condonetur.

dicæ (p) ſimillima fieret, hincque rudi cuilibet Artifici, Mulierculæ, Tonſori, ipſimet Popello dijudicanda veniret.

Atqui illæ, quotquot ſunt, abigendæ venirent controverſiæ, ſi forſan in omnibus, *abſolutum* ſectati fuerint; ubi *qualecumque* ſolummodo exquirebatur; *quantum*, ubi *abſolutum* ſufficiebat: adjuncta, ubi nuda res erat tantùm conſideranda: ſi v. g. Variolarum *recidivas* abſolutas objecerint, vel negaverint; dum tantùm ſcire intererat utrùm raræ oppidò extent: quâ proportione, fortuitas innocentiâ vincant inſititiæ, inquiſiverint; ubi indefinitum, ſed ſummum talem exceſſum noſſe ſufficit: ſi forſan nihil ad rem, utrùm Inoculator proprias res agat, dummodò humanitati ſuccurrat: an Extirpator inſitioni adverſus ſit nec-ne &c. &c.

Nos igitur jam illas taleſque difficultates, pro poſſe, emenſi; & confidentes propitiâ cautum eſſe Providentiâ, ne infirmitatis humanæ quotidiana tutamina, à tot & tam ſublimibus ſpeculationibus ſperanda forent; ad rei nodum humanioribus conatibus ſolvendum properamus; jam multùm præſtitiſſe arbitrati, jamque dimidium ſaltem curriculum peregiſſe, dum modum verè Medicum ſelegimus. Sit igitur:

PROBLEMA I[um].

AN ſimul poſſint ſtare Variolarum Expectatio, Inſitio, Extirpatio?

PRIMA fronte, & ipſorum vi nominum, ſibi mutuò, & directè oppoſitæ videntur Variolarum expectatio, illarum Inſitio, illarum Extirpatio. Namque Variolas Extirpare, haſque vel fortuito ortui committere, vel Inſerere, ſeu arte, & ex profeſſo excitare, prorsùs contradictorium apparet.

Attamen, re penitiùs conſideratâ, nihil eſt quod illarum conciliationem qualem cumque, imò binarum ſaltem utilem copulam deſperemus. Namque primò & ipſamet nuda Expectatio ab Extirpa-

---

[p] V. g. de ligando Funiculo Umbilicali; de Temporaneorum Dentium imminente caſu promovendo &c. &c. &c.

tionis methodo non prorsùs excluderetur, ſi (quod forſan Extirpatricis vigilantiæ ſummum) tunc tantùm abigendo contagio allaboraretur, ubi primùm in quolibet terræ angulo, naſcentis id eſt expectatæ, epidemiæ labes obſervata fuiſſet.

Quòad Extirpationis & Inſitionis combinationem, cujus utilitas jam in diſſertationis titulo præmonſtrata fuit: ſi reverâ ſummum, quamvis indefinitum beneficium, Inſitio præſtet; quidni, ſub decente contagii cohibitione, non ſolùm propriæ utilitatis gratiâ; ſed etiam ut Extirpationis miniſtra celebraretur? Quo evidentiſſimo emolumento talis combinatio admittenda ſit, in ſequentibus proponetur. Nunc verò animadvertiſſe ſufficiat adeò inconcuſſum eſſe talium mediorum poſſibilem ſaltem concurſum; ut non poſſimus quin & nos (q) meritiſſimis cæteròquin Extirpationis Patronis objiciamus, quod Inſitionis, in hoc puncto ſaltem indifferentis, ruinâ, Extirpationem ſuperſtruendam, ſeu operis titulo, ſeu ipſomet opere propoſuerint.

PROLEMA IIUM.

AN Variolarum Extirpatio maximè optabilis ſit.

RES nudâ expoſitione patet. Namque diriſſimæ luis ſeminium extinguere, penitùs abſumere, quidni ægris mortalibus optatiſſimum ſolatium foret?

Sed eò magnificentius exindè beneficium extaret, quod in illius naturâ poſitum eſſet ut publicâ Providentiâ, Paternâ regnantium ſollicitudine, in univerſum hominum genus & inſcium & malè reluctans, ut ipſiſſima Naturæ munera, refunderetur. Itaque nec innumeris Vulgi præjudiciis, inconſtantiâ cunctatione &c. averteretur: & imbecillos, & immedicabili labe tentatos, æquâ cuſtodiâ, defenderet (r); quod, in quibuſcumque oppoſitis Varioloſæ lui repagulis, fruſtra requiras.

His adde quod Extirpationis ſyſtema quibuſlibet mediis ad

(q) V. Diarium Medicum, pro menſe Novembri 1763. p. 400.

(r) Non leve Inoculationis vitium illos à ſalutari *piſcinâ* arcere, ut potè quibus, à fortuitis Variolis, gravius periculum impendet.

usum aptis, maximeque obviis, ut decet instructum, & inoculationis juvamen (si quodpiam sit reverâ) amplecteretur; illudque à gravissimo, perperamque negando (*) contagii vitio confestim absolveret; quod quidem vera est rei summa. Namque insitionis celebratio Civibus perniciem inferre, aut terrorem injicere tantum valet, dum contagio spargendo apta nata est; nec aliundè publicæ salùtis Tutorum sollicitudo suscitanda videtur: uno verbo, unicum illius incommodum publicum, autoritate publicâ removendum, contagium deprehenditur. Verum, si lege communi, & tali contagio & contagio adventitio obviam itur; (ut in comparandâ Extirpatione fiet) evidenti consequentiâ patet, peculiari in Variolarum insitionem decreto nullum jam perstare locum. Tunc autem (quod inæstimabile munus) ancipiti Scholarum judicio salutiferæ forsan, & saltem innocuo usu probandæ methodi, tolerantia non committetur.

Amplam meritamque laudum segetem percepit *Boerrhavius* & indiès percipit, ob antidoti jam enatas Variolas domaturi, eminùs præmonstratam spem; quæ tamen vana hucusque deprehensa fuit. Ipsamet talìs antidoti indagatio unanimi plausu, humana, decens, summe proficua conclamata fuit. Quanto majus ergo publicarum gratiarum pignus *Rastio* nostro decernendum est, ad ipsas luis radices, meliori arte, securim adigenti? Quantùm præ frustra expectato Antidoto, quantùm præ invento, efficacissimo usu probato, prævalet Extirpatio nostra; quantùm utilius est à futuro quocumque malo præcavere, imminens arcere; quàm vel grassanti obstare, vel præteriti incommodum sarcire. Quî ergo tanti emolumenti Monitor, & cavillationes, & convitia, forsanque nocentiora odii Medici tela in se induxit? Vix ab illis ne unus quidem evasit umquàm præclarus Artifex, præstans quoddam inventum humanitati gratificatus. Prætereaque Extirpator noster (quod iterum objicimus) Inoculatorum inutili saltem & incautâ petitione, in se incendit animos.

Sed cur saltem ipsammet Extirpationem avidè non expeteremus? Stolidam Pestìs patientiam Turcis exprobramus, qui tamen ab illâ cohibendâ, deplorandâ superstitione detinentur. Nos verò non mitiorem calamitatem, minùs excusandâ socordiâ, in posterùm

---

(*) V. Problema quartum; itemq. supra P. 2.

foveremus, ſi Extirpandæ lui Varioloſæ totis viribus non innitemur : namque nunc moniti ſumus ; jam excuſſa eſt longa noſtra circà graviſſimum objectum illud incogitantia ; neque nos ritus vel dogmata religioſa, neque alia quæcumque ſæva impedimenta morantur.

Attamen tanti muneris fruitio non ſolùm fatali hominum inertiâ, procraſtinaretur ; ſed etiam poſitivis, directis objectationibus propugnaretur, ultrò arceretur, ſi per malevolos quoſdam ſophiſtas liceret (ſ).

Sed inanibus illis præterhabitis declamationibus ad verum rei nodum deveniamus peculiari problemate ſolvendum. Sit igitur ;

PROBLEMA IIIᵁᴹ.

AN Variolarum Extirpatio poſſibilis ſit.

1°. SANCTE' caveamus ne adeò ſalutiferum promiſſum inconſultò rejiciamus. Et vagam & remotam publici commodi ſpem diruere piaculum eſto.

2°. Modeſtè caveamus ne penès nos, penès privatum quemlibet eſſe arbitremur, publicam Extirpationis praxim adumbrare, methodum uſu aptam proponere, illius incommoda prævidere,

---

(ſ) Quis credat, v. g. Extirpationis, aut potiùs emolumenti publici hoſtem extare, qui Extirpationis frivolum, & ſuperfluum fore commodum prædicavit, homines à Variolarum periculo liberare, humanæ Societati conſervare ; Civium multiplicationem a laugere. Sic tamen Anonymus quidam Libello cui titulus : *Obſervations ſur la nature, les cauſes, les effets des Epidémies varioliques.* 1764. Cum hoc-ce Epigraphio :

Neve metu falſo nimium trepidate timentes &c. Ovid.

Sic inquam ille : *Le plus grand nombre de ceux que le Fléau de la petite Vérole a tué juſqu'ici, ſont des Enfans mal conſtitués, qui ont manqué de ſoin; qui pouvoient perir de toute autre maladie avant que la Societé en pût tirer aucun ſervice ; la petite Vérole ne nuit pas plus à la Population que le Célibat & les Cloîtres. Ici j'entends déjà les murmures des Enthouſiaſtes du ſyſtême à la mode de la Population &c.* Ubi ſedulò notes, ab humaniſſimo Cenſore nullo diſcrimine haberi, & Hominum naſcendorum defectum ; & jam natorum incuriam ; aut potiùs, per prævisa & probata funera, illorum *rareſcentiam.* Undè ſi nimia civium multiplicatione urgeretur ; non ſolum ad Celibatum & Monachiſmum confugeret ; ſed etiam, pari jure, quem perhibent Sinarum morem, exuberantem prolem ineluctabili exitio devovendi, impavidus admitteret.

——————— Clamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus ——————— Perſ.

incommodorum remedia assignare. Talia à peritissimorum hominum Consilio, authoritate publicâ præposito, solummodo speres. Sed meram rei possibilitatem demonstrare, imo planum & expeditum, ad illam, iter summatim indigitare, nec exiguâ nostrâ Minerva major, nec indecens conatus. Neque etsi forsan arduum foret opus, ideò humanitatis fautorem confestim deterreret; quin è contrà eo magis virtutem irritaret animi. Ast præmonstrati beneficii non solùm legitimam, verùm & præsentaneam, & ociùs explebilem, obviis argumentis, spem firmare datur.

Et 1°. Quidem, jam allegatâ pestis analogiâ à Regionibus nostris jamdudum semotæ; quamvis, per assiduum cum pestiferis Regionibus commercium, indesinenter patens illius aditus assiduâ curâ præcludendus sit. Cui animadversioni adde radicalem, per eadem media Elephantiasis Extirpationem.

2°. Concedamus universale & invictum lui Variolosæ ut potè latiùs sparsæ repagulum objicere vix fas esse, vel ex intimâ & fundamentali rei difficultate, vel ex ingenitâ & forsan ineluctabili operationum publicarum lentitudine; ex millemodis impedimentis, vel sagacissimò, & boni publici studiosissimo Regni Administro insuperabilibus. Esto inquam, Variolarum Extirpationem omnimodam, absolutam, extemporalem, prorsùs desperandam esse: non ne facillima saltem illarum Extirpatio partialis & successiva? Illane nos tantùm vanâ commodi spe illuderet?

Animadvertendum 1°. Variolosum virus quasdam Regiones nunquam tetigisse, vel, quod perindè est, plures nobis innotuisse queis, antè nostrum commercium, hæc lues penitus inaudita erat; (*t*) Epidemias Variolosas rarò admodùm attingere loca à magnis frequentiæ Hominum centris longè remota: rarò adhuc, sed frequentius Pagos oppidulis viciniores: rursum frequentiùs, sed raró adhuc ipsamet oppidula. Nec etiam sæpius sævire in Urbibus secundi tertii-ve ordinis, v. g., Monspelii quanquam ex omni Europæ angulo convenientibus hospitibus assiduò frequentati; uno verbo quò minùs numerosæ sunt Hominum societates, & commercio alieno implicitæ; eò rarius in illas grassantur Variolosæ epidemiæ.

2°. Et in oppidis viginti, triginta-ve Hominum millibus re-

(*t*) Vid Clar. *Beer* loco jam in primâ paginâ nostrâ cit.

fertis, Variolosæ epidemiæ recrudescentia unum dumtaxat, aut paucos semel afficit. Atqui in promptu est sic nascentis epidemiæ ortum detegere, nec inventu difficilis videtur tali principio obstandi, atque contagii propagationem sistendi ratio.

3°. Etsi imperfecta foret talis cohibitio; absoluta siquidem infectorum segregatio usu minus apta haberetur: quàm immensùm decrescerent tamen contagii canales, si ab ægrorum commercio arcerentur saltem quicumque curationi illorum inutiles; si nec ipsemet Medicus vulgò supervacaneus, (ut in calce opusculi declarabitur), nisi in gravissimis casibus admitteretur? Tunc enim ferè ad adventitia recrudescentis epidemiæ seminia, Variolarum causæ reducerentur. Atqui si conferantur infinita vehicula, sub præsenti rerum constitutione Variolas semel ortas in eadem Societate multiplicantia, cum fortuitâ novæ Epidemiæ seminatione; & hoc unico rei intuitu, infinitè repressa, utpotè in cunis suffocata, quælibet epidemia demonstratur.

Sed, eodem præcisè tenore, alibi rarescent epidemiarum regressus. Namque si, ut reapsè evenit, & palàm confitentur, per vicinias serpat contagium; tantò minùs è loco infecto in incolumem vehetur epidemia, quò pauciores extabunt vectores. Atqui tales vulgatissimi vectores vel sunt ægri nondum perfectè sanati, vel homines à veneno suscipiendo quocumque modo immunes, sed miasmatibus, se, vestesque suas, ex ægrorum consortio imprægnati. Si autem tale commercium prohibetur: & aliundè ægri, usquè ad absolutissimam sanationem, domi contineantur; luce meridianâ clarior patet posterioris asserti inconcussa veritas.

Quòad verò merces, Epistolas, aliaque ejusmodi contagii vehicula, quantò faciliùs hæc à contrahendo contagio præmunienda, quàm ipsimet Homines?

Ergò saltem in hominum cætubus, in quibus, quoquo modo intermittunt Variolosæ Epidemiæ; utroque titulo dirimentur: & quia infrequentiores, & quià longè breviores, id est paucissimis infestæ fient. Ergò, utili circulo, sibi invicem succurrent vicinæ Societates; nec adeò lento gradu simile beneficium latè spargent. Ergò facillima, ociùs comparanda Variolarum Extirpatio, quam vix partialem dicere licet; adeò & absolutissimam beneficio æquat.

Fatendum equidem perpetuum diutiùs remansurum Monstri

vivarium, Urbes ſcilicet immenſo Populo frequentes, & in quibus Varioloſæ epidemiæ, raro ſi unquàm penitùs deficiunt. Verùm ſi mox indigitata vigilantia hìc ſanè magis ardui, & complicatioris usùs deprehenditur; aliundè ibi omnimoda, alibique deſiderata auxilia præſto ſunt, quibus ſufficiens ſegregatio patretur. Sunt & Noſocomia inſtituta, vel inſtituenda, & quocumque titulo Domus publicæ, & Inoculatio ruri celebranda, Pariſiis, v. g. in infantulos antequàm à nutricibus ruſticanis redeant. His adde quod dum in minoribus ſocietatibus certatim prohibitæ fuerint epidemiæ, ad Nationum centra affluentes Homines, merces-ve, viru Varioloſo vix unquàm inficientur: quod quidem contagii cauſas inſigniter reſcindet.

Uno verbo ubi ſemel conceſſum eſt Varioloſas epidemias per ſolum contagium oriri & propagari (*u*); Variolas Extirpandi copia penes Hominum arbitrium, procul dubio, ſtat.

Verùm ſi, ut veriſimiliter fiet, apud Nationes intimiori commercio intermixtas, & eâdem diſciplinâ civili, iiſdemque moribus regnatas, v. g. in *Republicâ Chriſtianâ*, circà Variolarum profligationem cita excitetur æmulatio; ſeriùs ociùs Varioloſæ Luis in expurgatam tellurem regreſſus, ad præſentem peſtìs conditionem, ſub hoc reſpectu, redigeretur. Jam enim mundâ tellure noſtrâ, deinceps invigilandum foret tantummodò, ne rursùs ab infectis viciniis venenum irreperet: nempè à populis prædictæ Reipublicæ alienis, & quorum vix ſupponenda mutuæ operæ collatio, quidnì tamen aliquando ſperanda? Ab illis autem potiſſimùm pertimeſcendum eſſet novum contagii ſeminium, cum quibus frequentiora vicinioraque faceremus commercia; qui nunc nulli alii ferè deprehenduntur præter illos qui Maris Mediterranei noſtri oras incolunt. (*x*).

(*u*) Vid. poſtulatum primum p. 1. & autoritates ibi allegatas.

De cætero circà ſuppoſitionem, aut potius unanimem confeſſionem, quod ſcilicet nuſpiam citrà contagii influxum excitentur Variolæ; NB, hac negatâ, imo, ſi fas eſſet, dirutâ, nihilominus perſtare tamen hujus noſtræ ſententiæ veritatem abſolutam.

(*x*) Nam quoad ſervorum Nigritarum coloniis noſtris importationem ſpectat, & per illos frequentem epidemiarum inſtaurationem: 1°. Seminium tali commercio advectum, nonniſi longo circuitu, ad fæderatos extirpatores perveniret; 2°. Facillimâ arte videtur exterminandum. & quidem in ipſiſſimo progreſſûs exordio, & antequàm ipſasmet colonias, imo naves infeſtaret.

Verùm cum illi iidem prorſùs ſint, à quibus ob peſtîs contagium continuò cavemus : iidem quos nunc indefeſſâ vigilantiâ peſti injicimus obices, iidem & ad arcendum Varioloſum ſeminium ſimul ſuppeterent. Undè, ut patet, triſtes excubiæ multiplicandæ non eſſent : niſi deinceps, quod minimè hactenus prævidendum, Publicæ ſecuritatis cuſtodes, ex alio fonte affluens virus detegerent.

Sed intereà, & dum lento gradu forſan procedet abſolutiſſima Extirpationis efficacia (forſan è contrà ſuprà modeſtam ſpem noſtram, ociùs obtinenda) anne, ut jamjam innuimus, vanum extaret ſollicitæ Extirpationis munus, multò infrequentiores, & mitiores epidemias præſtitiſſe. Illas nimirum & in numeroſiſſimis Hominum conventibus inſigniter mitigaſſe ; in minoribus ferè nullas effeciſſe ; in minimis ad nihilum reduxiſſe ? Neutiquam ſanè, me judice, numquam, dum ſana mens ſupererit, à commodi cujuſcumque ſectatione deterrendò ; etiam ſi integri, perfecti, ſupremi commodi potitio denegetur.

Enim verò, ecquid abſoluti, integri, adæquati, perfecere aliquandò Homuncionum potentiſſima conamina ? Anne, integre noſtro publicarum inſtitutionum ſyſtemate, vel innumeris privatæ induſtriæ artificiis, incommodum quodpiam, ſeu phyſicum, ſeu civile penitùs ſuperare contigit unquam ? anne forſan Fluminum exundationes, Ferarum vel Hominum impetus &c. &c. &c. ? nonne tamen Fluminibus aggeres, quamquàm diſrumpendos objicimus ? nonne fines noſtros arcibus, etſi propugnandis munimus ? nonne Feris, venatu, inſidiis, veneno, exitium quanquam incompletum intentamus ? nonne uno verbo dimidiandis, quartandis, decimandis incommodis ; boniſque paululùm deguſtandis, ultrò, & ſui conſcia humana imbecillitas, integro vitæ decurſu, collimat ? &, ut à rebus Medicis exempla, eaque ſummè analoga deſumamus : quis confidat tectum ſyphilidis virus, per tacita & irrefrænanda commercia latè ſerpens, radicitùs unquam exterminandum fore ? Nonne tamen Extirpationi illius qualicumque, omni ope, innituntur publicæ inſtitutiones, multiplicia ſcilicet Noſocomia huic potiſſimùm fini dicata, pluresque aliæ coercendæ propagationis rationes ? Anne tractus quidam paludoſus, inductâ ſiccitate, ſaluberrimus vulgò præſtatur ? Nonne tamen, ſi aliquantùm, tali arte, ſalubrior fiat ; inſigne operæ pretium exultantes celebrant

celebrant incolæ ? &c. Si ergò partialibus tantùm bonis beari, & incommoda utcumque rescindere humanæ miseriæ conceditur; cur, nescio quo speciali fato, solæ forsan inter vitæ humanæ supplicia, Variolæ, spontaneo suo trucissimoque impetui penitùs committuntur ?

Verùm hæc summatim exarata sufficiant, Extirpationis possibilitatem, facilitatem, sperandam celeritatem indigitare tantùm studenti. Et hæc qualiacumque scholasticorum certaminum tirocinia sunto.

Audacter tamen, impetu jam suprà excusato, (y) hîc asserere non dubitem, propositis animadversiunculis, à vanitatis improperio evidenter absolvi instituendæ Variolarum Extirpationis meditationem. Ergò de consolatoriis illius promissis ultrò palàmque desperantes, & utilìs systematis promotorem, qualicumque vexatione, ab honesto proposito deterrentes, inter commodi publici infensissimos hostes habendi sunt : perfidum scilicet & aversabile Monstrorum genus, ipsâmet Variolosâ lue, illorum præsidio defensâ, sævius; eheu, & forsan inextirpabile.

PROBLEMA IVum.

AN Variolarum Extirpationi, subnectenda sit illarum Insitio.

VARIOLARUM Extirpationem, illarumque Insitionem simul in praxi stare posse; imò in integro Extirpationis systemate Insitionis methodum, quasi utile medium, comprehendi, jam in prioribus observatum est. Etenim, quoad posterius propositionis membrum, nonne evidentissimè patet Insitionem, utpotè prævisum contagii seminium ponentem, Extirpationis legibus longè facilius subjiciendam esse, quam inexpectatas, fortuitas Variolas : sicque contagii causas citiùs resecaturam, & consequenter accelerandæ Extirpationi aptissimam fore.

Verùm dùm Extirpationis & Insitionis concursum proposuimus, utriusque operationis utilitas alibi stabilita suppone-

[y] Vid. sup. Notulam ad calcem paginæ octavæ positam.

batur. Igitur in præcedenti Problemate, pro posse demonstratis Extirpationis commodis; superest ut circà Inoculationis emolumentum, in hocce disputemus. Quod sic breviter præstamus:

Verùm ubi priùs jam prælatam animadversionem in medium reduxerimus: nimirùm, sub Extirpationis systemate, nullum esse gravissimum contagii probrum, insitioni jampridem objectatum, nuper acrius inflictum, & perperàm ab insitoribus declinatum, ut potè per ipsosmèt Insitionis successus firmatum (z).

Hoc itaque præcipuo quæstionis membro jam resecto, sic reliqua tractamus:

In gratiam Insitionis maximè momentosa, fundamentalia, prorsùs decretoria allegata hæc sunt:

1°. Scilicet, quam plurimos ab insitis Variolis evadere, easque vix aliquando exitiales fieri; dùm è contra plurimæ observantur fortuitarum epidemiæ, quæ densissimas strages edunt.

2°. Et semoto mortalitatis discrimine, insitæ longè benigniores sunt; & vultûs decorem rariùs deturpant quàm fortuitæ.

3°. Hoc faustissimum Inoculationis munus prædicant: quòd nempè illam semel expertus jam per reliquum vitæ decursum ab omni sollicitudine solvatur, non solùm perpetuæ teterrimi hostis instantiæ; verùm & perfidæ illius invasionis, tempestate, locove, curando gravi morbo prorsùs inopportunis.

Verùm quàm molesto perpetuoque cruciatu talis cura angere valeat, ex illis discendum qui sub inclementissimo Cœlo navigantes, vel in Castris, vel inhospitali Viculo, omni ope destituti, improvisas Variolas passi sunt; aut patientibus adstitere; tum & ab illis qui pro Filiis navigantibus, bellantibus &c. tale fatum pertimescunt, aut jam expletum lugent; ab illis tandem qui naves aliquandò Nautis ferè orbari ex illâ calamitate norunt (1).

Asserunt tandem Variolarum insitum ab eâdem sollicitudine

(z) Vid Sup, p. 2a. & 11a.

In hoc autem puncto Inoculationis fautores in id præcisè incidunt vitium, quod adversariis suis meritò exprobrant; quodque & nos infrà notabimus. Adeò Hominibus, nihil humanum alienum est unquàm. V. infrà p. 20.

(1) Quidni v. g. ad longinquas navigationes, Nautæ seligerentur Variolas jam experti? quòd quidem & præsentaneum talium peregrinationum emolumentum præstaret, & maritimarum Regionum incolas ad Inoculationem ultrò admittendam exstimularet.

non minus expedire illos qui virus non ſuſceperunt. Namque veriſimillimum eſt, & experientia firmatum tradunt illos contrahendo fortuito contagio & quidem impares eſſe.

Hæc autem Inſitivæ methodi fundamenta ſic Antinoculatores concutiunt : Variolarum Inſititiarum innocentiæ, mortalitatem illarum abſolutam objiciunt ; eamque hinc indè collectis infauſtarum Inſitionum Hiſtoriis firmant. Et preſſiùs : ſummam illam ſalubritatem, quâ inſitas dicunt præſtare ſuprà fortuitas, negant. Nec rarò Variolas inſitas ſævas, confluentes, diris reliquiis obnoxias volunt ; illaſque vultûs formam fœdare ; atque, cum Variolis, multiplices chronicos morbos infundere contendunt. Tandem recidivis patere Variolas inſititias ; nimirum Inoculationem & quidem pleno cum ſucceſſu expertos, à fortuitis Variolis deinceps immunes minimè præſtari.

His ità collatis, & juxtà Logicam noſtram perpenſis, ſcilicet in rei fundum deſcendendo, & vana adjuncta circumcidendo ; jam nobis ſufficienter (2) ſtare videntur Inoculatorum promiſſa, caducæ verò adverſariorum objectiones.

Namque 1°. Circà ſolidam rei baſim conſentiunt partes oppoſitæ, ſaltem quam plurimi, illique moderatiſſimi, ſapientiſſimi, fide digniſſimi utrarumque defenſores. Et litigant tantùm circà magis aut minùs. Inſitoribus ſcilicet concedunt *Fortuitarii*, Inſitarum Variolarum mortalitatem longè minorem eſſe quàm fortuitarum ; priorumque longè minora incommoda : ſcilicet morbi gravitatem, relliquias, recidivas, alienorum morborum ſimultaneam ſeminationem rara admodum eſſe : ſive illud expreſſis verbis ſignificent, ſeu diſſerendi ratione prodant. Namque dum ſollicitè, ex omni terræ plagâ, Inſitionis infortunia colligunt, dum ipſammet Conſtantinopolim, ſex millenis Inoculationis triumphis, per unicum annum, claram, unicæ cladis teſtem reclamant ; ex ſuo venatûs modo, (ſi fas ſit ità loqui) ſe rariſſimam prædam inſectari demonſtrant. Ubi è contrà ſexcentos, millenos ex Inoculatione ſuperſtites, imò

---

(2) Vid. Epigraphium noſtrum. Et rursùs *Dalembertium* audi, Comment. ſupr. laud. *Combien d'occaſions dans la vie, où ſans ſçavoir précisément l'avantage qu'on peut eſpérer en prénant quelque parti, on eſt déterminé par le ſeul motif que cet avantage peut être très-grand.*

ſaniſſimos , in eâdem Urbe, in eâdem Domo palàm oſtendunt inoculatores.

Denique ſimul collatis utrarumque partium experimentis, dictis, ſcriptis, affectibus; hinc, tum Medico ratiocinio, tum intimo animi ſenſu, probabiliſſimas præſtantiſſimi commodi ſpes haurio; ibidemque ingenuorum Artificum veracitatem, humanitatem, rectam ratiocinii normam, adverto: (3) indè verò perplexum, & malevolum contradicendi ſtudium; intricatus, laxus, mancus, aſper diſſerendi modus, urgentis veritatis violentam cohibitionem arguens; emolumenti publici incuria; odium Medicum; nec levis aliquandò fanaticæ melancholiæ labes (4) plerumque obſervabilia extant.

Cœteròquin nec effrenâ commodorum Inſitionis negatione, proſcribenda adhuc jubebitur Inſitio. Namque, & admiſſis, & multiplicatis *Cantwellii*, *Roncallii*, *Haenii* luctuoſis obſervationibus; extenuatâ fortuitarum Variolarum ſævitiâ; exagerato immunium numero; nihilominùs tamen reſtat adhuc qualiſcumque inſitionis præſtantia. Atqui dum vel minima manebit; 1°. Emolumento publico ſaltem non adverſabitur Inſitio; quin è contrà qualicumque ſuâ præſtantiâ favebit. 2°. Nec privatis, ſeu individuis infenſa erit: namque ad illam liberè confugiet, prolemque ſuam committet quilibet. Illam tentabit magnanimus; puſillanimus refugiet. Nec ſibi, nec regno, inſtituendâ Inſitione, illegitimiùs conſulet aliquis, quàm avellendo Dente, vel Pedis clavo. Namque & illæ Operationes, ab abſoluto vitæ periculo, neutiquàm ſunt immunes; ſi verò rariora ſunt illarum exitia, & etiam, pro leviori ſanè commodo, celebrantur, quod rem abſolutè compenſat.

---

(3) Me præprimis tali charactere afficiunt *Butinus*, *Tiſſotiuſque*, Monſpelienſis Scholæ alumni; noviſſimèque Autor anonymus, quem noſtram & etiam reputo, Opuſculi jam ſuprà cit., ſincera ſolidiſſimaque fruge Medica refertiſſimi, cui titulus: *Recherches ſur quelques points d'Hiſtoire de la Médecine, qui peuvent avoir rapport à l'Arrêt de la Grand'Chambre du Parlement de Paris, touchant l'Inoculation.* Tandemque celeb. *Gatti* jam laudatus.

(4) Meritiſſimum aliundè, & quidem in egregiorum Artificum Chorum jure referendum *Haenium* dolemus, qui innocentiſſimæ Medicinæ, ab ipſiſmet Theologis jampridem deletam ſacrilegii labem, rursùs inurit; quique ſtrenuum Inſitionis defenſorem celeb. *Tralleſium* ad TRIBUNAL SUPREMUM vocat, *ſeveram rationem daturum*, ... an *concreditam ſibi proximi ſalutem maximè promoverit.*

Uno verbo, dummodò Inoculatio, ſub prolato reſpectu, abſolutè ſit innocua; Civi cuilibet, communi Humanitatis jure, competit libertas, ut ſub juſſâ ſegregationis obſervantiâ, Variolarum fato, ut lubet, obſequatur.

Sic unuſquiſque ſe, ſuoſque, quocumque morbo tentatos, probatiſſimo ſibi Medico, vel acceptiſſimæ ſibi methodo curandos committit: frictiones Mercuriales, arcano Keiſeriano anteponit, aut vice versâ; & , ut ad mox allatum exemplum redeamus, vel dolorificum dentem timidus ſervat; vel Extirpatoris forcipi impavidus tradit.

Ex quibus animadverſionibus concludimus: 1°. Non ſolum per Inſitorum placita, verum & per moderatiorem Antinoculatorum cenſuram, commendari Inſitionis methodum; illamque conſequenter, decentibus invitamentis, promovendam eſſe. 2°. Et quamvis admittantur intolerantiſſimorum adverſariorum objurgationes, nihilominùs tamen tolerandam eſſe Inſitionem, illiuſque utilitatem præciſiùs determinandam, tempori, longoque uſui committendam eſſe.

Si autem, hæc ratiocinia ſtent; confidenter, ſed modeſtè Diſſertatores interrogamus, utrùm talis ſummaria conſideratio ſuffecerit, ad admittendam, vel excludendam Variolarum Inoculationem? Atque (quandoquidem fauſtè contingit ut utilis deprehendatur Inſitionis celebratio) utrùm illius potitio proroganda ſit, quouſque ſolutæ fuerint innumeræ quæſtiunculæ, jam in Opuſculi Proëmio ſummatim indigitatæ, partimque illicò recenſendæ.

Scilicet. 1°. Curioſæ Theoreticæ de primâ Variolarum origine.

De conciliandâ germinis Varioloſi negatione, cum nullis, aut infrequentibus Variolarum recidivis.

De naturâ & propagationis modo miaſmatis Varioloſi.

An qui inſitum virus non ſuſcipiunt, iidem præcisè ſint qui à fortuitis Variolis propriâ naturâ immunes futuri ſint? ſiquis tamen, talis problematis ſolutionem ſibi aſſumere audeat.

An pus manans ex vulnere, vel vulneribus per quæ introductum fuit ſeminium, non paucam puſtularum materiam abſumat?

2°. Practicæ forſan in ſe utiles, nec tamen utilitatis abſolutæ, nec, ſi fas ſit ità loqui, urgentiſſimæ.

An virus Varioloſum iteratis Inſitionibus miteſcat? & utrùm

ſic mitigatum in praxi ſeligere deceat ?

An quantum licet, ſeu prædicto, ſeu alio quocumque artificio, inſerendum virus *dulcificandum* ſit ?

An ſicut humaniſſima, ſic tutiſſima ſit methodus, omni operâ innitendi, ut benigniſſimus ſit, excitandus per Inſitionem, morbus ?

An Inſitionis ſedes quaſi centrum eruptionis, totiuſque conatûs morboſi fiat; adeòque, hâc mutatâ, hæc, illave Viſcera meliùs defendantur ?

An Variolarum Inſitio (juxta Celeb. *Gatti* & Anonymi mox laud. honeſtiſſimum placitum) Mulierculis credenda ſit ?

Has autem, ſimileſque quæſtiones, abſit ut ab explendo Diſſertatorum otio, ab ampliandâ ſcientiæ pompâ, à decorandis Diariis, Academiis, Scholis excludamus: quin è contra poſteriorum, ſimiliumque forſan plurimarum quæſtionum ſolidam enodationem, perficiendæ Inoculationis methodo, multùm conferre non negamus.

Nos autem ex talium (practicarum putà) cenſu, unicam ſepoſuimus, eamque noſtro judicio, maximè momentoſam, quam, pro opellæ coronide, hîc obiter delibandam, vel potiùs dubiis agitandam, ſubnectimus. Decretoriam illius ſolutionem præteritis & futuris experimentis committentes. Sint igitur.

DE INOCULANDORUM PRÆPARATIONE dubia quædam.

AN quid optabilius expectare liceat ab artificioſiſſimâ præparatione, quàm perfectam ſanitatem ?

An vana ſit, præconcepta, merè rationalis indicatio, humores demulcendi, diluendi, motus compeſcendi; ſolida relaxandi, molliendi &c. ? Ut morboſo impetui obſequioſior fiat mox vexanda machina.

An, præ ſtomacho, inteſtinis optimè concoquentibus, ſe meliùs habeant ſtomachus, inteſtinaque, iteratis, quanquàm benignioribus Catharticis, ut dicunt, repurgata ?

An, inſolitâ diætâ, etſi Medicè meliori, aliquis intrà paucas ſeptimanas, ſalubrior fiat ?

An, si forsan Imbecilliores, cæteròquin sani Variolas feliciores vulgò experiantur, tutò validioribus inducenda sit artificialis Imbecillitas?

Anne idcircò, tum Insitioni, tum operationi cuilibet Therapeuticæ aliquis sanus præparandus sit?

An illis qui pravâ quâcumque & habituali valetudine laborant, alia suppetat præparatio, quàm ipsissima prædictæ valetudinis sanatio?

Tandem, an igitur tantoperè valeat Variolarum Inoculatio ob præparationis emolumentum?

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR
R.R. D.D. PROFESSORES REGII.

R. D. *JOANNES-FRANCISCUS IMBERT*, Cancellarius & Judex.

R. D. *HENRICUS HAGUENOT*, Decanus.

R. D. *ANTONIUS FIZES.*

R. D. *FRANCISCUS DE SAUVAGES.*

R. D. *FRANCISCUS DE LAMURE.*

R. D. *GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.*

R. D. *CAROLUS LE ROY.*

R. D. *PAULUS-JOSEPHUS BARTHÉS.*